



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Vincentii Brvni, Socie-
tatis Iesv, Meditationes,
In Septem Praecipua Festa B. Virginis**

Bruno, Vincenzo

Coloniae Agrippinae, 1598

Disc. IV. De Communi SS. Virginum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-59989](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-59989)

DE COMMUNI
 SANCTA-
 RVM VIRGI-
 NUM.

DISCVRSVS QVAR-
 tus & Vltimus.

EVANGELIVM.

TVNC simile erit regnum *Matt. 25^o*
 celorum decem virginibus,
 quæ accipiētes lāpades suas
 exierunt obuiam sponso & spon-
 sã. Quinq; autem ex eis erant fa-
 tuæ, & quinq; prudētes: sed quin-
 que fatuæ acceptis lampadibus
 non sumpserunt oleum secū: pru-
 dentes vero acceperunt oleum in
 vasis suis cū lampadibus. Moram
 autem faciente spōso dormitaue-
 runt omnes, & dormierūt. Mēdia
 autē nocte clamor factus est. Ec-
 ce spon-

452 DISCVRSVS DE
ce spōsus venit, exite obuiam ei.
Tunc surrexerunt omnes virgi-
nes illæ, & ornauerunt lampades
suas. Fatuæ autem sapientibus di-
xerunt, Date nobis de oleo vestro,
quia lampades nostræ extingun-
tur. Responderunt prudentes di-
centes. Ne fortè non sufficiat no-
bis & vobis, ite potius ad ven-
dentes, & emite vobis. Dum au-
tem irent emere, venit sponsus,
& quæ paratæ erant intrauerunt
cum eo ad nuptias, & clausa est
ianua. Nouissimè verò veniunt
& reliquæ virgines, dicentes, Do-
mine Domine aperi nobis. At
ille respondens ait, Amen dico
vobis, nescio vos.

FIGVRA.

Leuit. 21. **D**EVS in veteri Lege manda-
uit, vt summus Pontifex, qui
representabat personam Christi, in
sponsam acciperet fœminam virgi-
nem.

PRO.

PROPHETIAE.

1. **H**AEC dicit Dominus Eunuchis, qui *Isaia 56.*
 custodierint Sabbata mea & elegerint
 quae ego volui, & tenuerint fœdus
 meum, dabo eis in domo mea, & in muris
 meis locum, & nomen melius à filiis &
 filiabus, nomen sempiternū dabo eis, quod
 non peribit.

2. Adducentur regi virgines post eam, *Psal. 44.*
 proximæ eius afferentur tibi.

3. Felix est sterilis & incoinquinata, quæ *Sapient 3.*
 nesciuit thorum in delicto, habebit fructum
 in respectione animarum sanctarum, &
 spado, qui non operatus est per manus
 suas iniquitatem, nec cogitauit aduersus
 Deum nequissima; dabitur enim illi fi-
 dei donum electum, & sors in templo Dei
 acceptissima.

4. O quam pulchra est casta generatio *Sap. 4.*
 cum claritate: immortalis est enim memo-
 ria illius, quoniam & apud Deum nota est,
 & apud homines, & in perpetuum corona-
 ta triumphat iniquinatorum certaminum
 premium vincens.

CONSIDERATIONES.

BEATISSIMVS Ioānes Euan. *Punct. 1.*
 gelista, vt est in eius Apocalypsi, *Apoc. 14.*
 post

post inspectas varias & admirandas visiones, vidit turbam Sāctorum magnam, qui singulari quadam gestientes lætitia respiciebant & laudabant agnum, & ab eo quoque benignè aspiciebantur. Vnde dicit Sanctus hic Apostolus, Agnū stetit supra montem Sion, & cum eo centum quadraginta quatuor millia habentes nomen eius, & nomen Patris eius in frontibus suis: se verò audisse vocem de cælo cytharedorum citharisantium in citharis suis, qui & cantabant quasi canticum nouum ante sedem Dei: & nemo poterat dicere canticum nisi illa 144. millia, qui empti erant de terra. Subiicit deinde Apostolus qui fuerint isti beati. *Hi sunt inquit, qui cum mulieribus non sunt coinquinati. Virgines enim sunt. Hi sequuntur agnum quocunque ierit. Hi empti sunt ex hominibus primitiæ Deo & agno, & in ore eorum nō est inuentum mendacium, sine macula enim sunt ante thronum Dei.* Fuit profecto immaculatus hic Virginum chorus primitiarū loco, fuit primus fructus quem CHRISTVS verus Deus & homo, per passionē & mortem suam ex hoc mundo reportauit. imò mox atq; in terrā descendit, instituit

stituit hanc nouam familiã Virginũ;
 vt sicut ipse in cælo adoratus erat ab
 angelis, ita in terra quoq; angelos ha-
 beret, qui ipsi seruiret. Ipse igitur de
 cælo hoc angelicũ semen attulit, &
 fæliciter illud p̄seminauit in suę Ec-
 clesiæ solo. Dedit hominib. hunc spi-
 ritum vt se castos & puros seruare, &
 corporis sui vas, vt hortabatur A post.
 in sanctificatiõẽ & honore custodire
 possent, & non in passione desiderij. *1. Thess. 4.*
 Habuit igitur hæc virginitatis virtus
 originẽ suam ab ipso Deo, à quo eam
 primo didicerunt angeli. Fuit in cælo
 inuenta, & inde delapsa est ad homi-
 nes, & post generalẽ resurrectionẽ in
 cælo perseuerabit in æternum. Ibi e-
 nim, teste Domino, nulli ampli⁹ nu *Matt. 22.*
 bent vel nubentur, sed omnes erunt
 sicut angeli Dei, facti sponsæ ipsius
 Dei, ac perpetuę caritatis vinculo illi
 coniuncti. In his ponet ille thronum
 & sedem suam, & habitare cum
 illis pro delitijs suis reputabit. Qua-
 re bene dixit Euangelista, dum Ag-
 nus, CHRISTVS D. N. staret
 supra montem Sion, supra Eccle-
 siam triumphantem, vt eius caput,
 gubernando illã & conseruando, su-
 pra illum mōtem altissimũ Sion, vbi
 vide.

videre & contemplari licet Deum
 Deorum, in eius societate astabat
 nobilissimus, splendidissimusque
 chorus Virginum: Ac certe valde
 conueniens erat, immaculatum a-
 gnum non aliorum societate stipa-
 ri, quam qui corpore & mente puri
 & immaculati essent. Quare & spe-
 ciatim dicitur hoc astitisse agno, tum
 ob vitæ imitationē & conformitatē,
 tum ob eximiam charitatis coniun-
 ctionem: virginittatis enim præroga-
 tiua, reddit animos diuino amore
 digniores & capaciores. Adhæc ha-
 bebant illi nomen agni, per fidem
 humanitatis, & nomen Patris per fi-
 dem diuinitatis eius scriptū in fron-
 tibus suis. Et rectè in frontibus, quia
 fidem, quam habebant in corde, et-
 iam palam ore confitebantur, & fa-
 cto protestabantur. Quocirca vti in
 hac vita amore CHRISTI, studio-
 que ei placendi, se proprii corporis
 commodis, & huius mundi volupta-
 tibus exuerunt, sic ille in cælo, in si-
 gnum amoris sui erga ipsos, nomen
 suum inscribit eorum frontibus, si-
 mulque nomen Patris, in signum,
 quod ab illo quoque amentur, con-
 uenienter illi dicto Domini, *Qui dili-*

git

ligit me, diligetur à Patre meo, & diligam Ioan. 14.

illum. Hi ergo letis vocibus more hominum citharisantium in citharis cantarunt canticum nouum. Sunt certe Virgines quasi citharæ quædã resonantes. nam sicut cithara aliud non est, quam chordæ certo ordine extensæ in ligno, ita hi sancti crucifigentes & mortificantes membra sua, quasi extensi & cum CHRISTO confixi in ligno crucis, facti sunt citharæ, suauissimũ sonum & harmoniam efficientes in Dei auribus. Rectè autem dicit eos cantasse canticum nouum: nec enim solum noua fuit hæc virtus mundo, sed etiam animis eam possidentibus conciliabat nouam gloriam & lætitiã ob fælicem aureolam, quæ illos multo inter alios reddidit in cælo honoratiores & illustriores. Ac denique speciatim hi sequuntur agnum quocunque ierit: quia semper fuerunt perfecti eius imitatores, non solum in virginea integritate mentis & corporis, in mansuetudine, humilitate, alijsque virtutibus: sed etiam in propriæ carnis mortificatione, qua sacratissimam eius passionem & mortem imitantur.

Matt. 19.

2. CONSIDERA quomodo hæc cælestis virtus de cælo à CHRIS-
 T O D. N. in terram allata, pri-
 mum fuerit hominibus commenda-
 ta, quando ipsi de indissolubili vin-
 culo Matrimonij loquenti, Aposto-
 li subiunxere. *Si ita est causa hominis cū
 vxore, non expedit nubere.* tunc enim
 respondit Dominus. *Non omnes capiūt
 verbum istud, sed quibus datum est. Sunt
 enim Eunuchi qui de matris vtero sic nati
 sunt, & sunt Eunuchi qui facti sunt ab ho-
 minibus, & sunt Eunuchi, qui seipso ca-
 strauerunt propter regnum cælorū.* Qui po-
 test capere capiat Quibus verbis Domi-
 nus declarauit, quanta sit hur⁹ virtu-
 tis præstātia: vt enim illa venit de cæ-
 lo, sic necesse est de cælo venire auxi-
 lium & gratiā qua obtineatur & con-
 seruetur. Hanc non Christus solum
 docuit, alijsq; consuluit, sed etiā per-
 fectissimè obseruauit, imò eminenter
 in eo exstitit, vt in illo, de quo scri-
 ptum erat, quod esset *candor lucis eter-
 næ, & speculum sine vlla macula.* Hæc
 quoque voluit ornatam esse Matrem
 suam, faciēs eam reginam omnium
 Virginum, & omnis pudicitie specu-
 lum. Ab eadem initium voluit fieri
 legis Euangelicæ, nam præcursor Io-
 annes,

Iep. 7.

annes, qui fuit primus lapis, primusq;
 eius prædicator in deserto perpetuâ
 virginitatem seruauit: imò tota Do-
 mini Lex amoris plenissima non a-
 liud spirat quam puritatem, quâ vir-
 ginitatē, quam castitatē, quæ tota hu-
 iusmodi cælestibus cōsilijs plena est,
 secundū illud Prophetæ. *Eloquia Do-
 mini eloquia casta, argentum igne exami-
 natum, probatum terræ, purgatum septu-
 plum.* Similiter alius Prophetæ lo-
 quens de sanguine Saluatoris nostri,
 quo confirmauit suū nouū testamē-
 tum, cuiusq; omnes fideles beneficio
 sacramentorū facti sunt participes,
 & singulatim respiciens ad nobilif-
 simum omnium Sacramentorū Sa-
 cramentum Corporis & Sanguinis i-
 plius Redēptoris nostri, peculiarem
 hanc proprietatē ei attribuit generādi
 virgines. *Quid. n. bonū, inquit, eius est,
 & quid pulchrū eius, nisi frumentum ele-
 ctorū, & vinū germinans virgines?* Atq;
 id verū esse satis demōstrat ipsa expe-
 riētia. nā quādo spiritus, amorq; Chri-
 sti animā ingreditur, & per hūc cele-
 stem cibum & potum ei vnitur, illico
 primū desiderū & studiū eius est se-
 ctari hanc virgineam virtutē, vel sal-
 tem castitatē, si culpa sua forte florē
 illum amisit.

Psal. II.

Zach. 9.

V 2 Deni-

1. Cor. 15.

Denique nec alius fuit spiritus, vel doctrina omnium eius Apostolorum, in primis autem eius qui plus alijs pro Ecclesia laboravit, qui tantopere semper optabat, & hortabatur alios, ut perinde ac ipse casti & continententes essent: ac proinde suadebat

1. Cor. 7.

Virginibus, ut potius virginalē quā conjugalem statum amplecterentur, ut hac ratione mente & corpore sancta melius diuino cultui vacare possent. Viduis quoque consulebat, ut potius castitatem custodirēt, quam nouas inirent nuptias: Si autem iam iniissent, ita viuerent ac si nō iniissent.

2. Cor. 11.

Denique omnes fideles cuiuscunq; status voluit esse virgines castas Christo desponsas.

Esa. 19.

3. CONSIDERA deinde quibus rebus in scriptura hic Chorus illustris Virginum fuerit assimilatus. Primò enim assimilantur nubibus cæli, ut nubi illi, de qua scriptum est. *Ecce Dominus ascendet super nubem leuem.* ac verè leues sunt virginum animæ, quia exoneratæ sunt, & solutæ onere status conjugalis. Sunt quoque leues, quia liberæ sunt à sollicitudinibus sæculi, continenter mentem habentes sublatam ad Deum, contemplan-

tes

tes de Deo, rebusq; diuinis, iuxta illud
 Apostoli: *Mulier innupta & virgo cogi- 1. Cor. 7.*
 tat que Domini sunt, vt sit sancta & cor-
 pore & spiritu. Deinde sicut nubes sunt
 candidæ & humidę ob aquam quam
 continent, sic virgines candore vir-
 gineæ puritatis quasi resplendent, &
 mentem habent deuotionis aquis
 humidam, ac simul frigidam ad tem-
 perandos carnalis concupiscentiæ
 ardores. Secundò comparantur ce-
 dris, arboribus semper virentibus,
 suauissimiq; odoris, quo fugant ser-
 pentes, homines verò oblectant, &
 sunt corruptionis expertes, sic vt nū-
 quam putrescant, nec à tincis rodan-
 tur. Sic animus Virginis semper re-
 tinet suam vigorem, semper viret &
 floret Ad hæc odorem & cōspectum
 huius virtutis fugiunt dæmones, cō-
 tra angeli mirificè oblectantur, & est
 ab omni corruptione peccati aliena.
 Tertiò assimilantur apibus; vt enim
 apes sine mutuo congressu sunt fæ-
 cundæ, sic qui se continent in statu
 virginali extra coniugium non sunt
 steriles sed fæcundi, ac primo qui-
 dem in se multis sanctis desiderijs, &
 spiritalibus sensibus quibus plus a-
 lijs abundant: deinde etiam in proxi-

mos, dum tam raræ & illustri virtutis exemplo authores sunt salutis multorum. Imò & fecundi sunt celo, nam, ut docet quidam sanctus Doctor, sicut nuptiæ complerunt mundum, sic virginitas implevit paradysum. Quarto convenientissimè sunt assimilati varijs floribus, & particulatim lilijs, sicut indicat sponsus loquens de pura & immaculata sua sponsa *Sicut lilium inter spinas, sic dilecta mea inter filias Hierusalem.* Et merito hæ dilectæ Christi assimilantur candido illo, tum ob earum virginæ puritatem & nitorem, tum ob gratissimum odorem quem sanctæ illæ animæ expirant. Deinde sicut lilium habet sex folia, sic virginæ hic flos est sex virtutibus singularibus ornatus. Primum folium virginæ est sobrietas & continentia à cibo superfluo: sicut enim gula seminarium est impudicitæ, sic ieiunium est custos castitatis. Secundum folium est honestas & simplicitas habitus sine molitie & curiositate. Tertium est mortificatio, & diligens sensuum, maxime oculorum auriumque custodia, quia scriptum est, mortem per has

Can. 2.

Hier. 9.

has fenestras intrasse Quartum foliū est, pareitas & circum spectio in loquendo, demonstrando vt mente & corpore, ita etiā in verbis summam honestatem. Quintum est, esse domi inelufam, fugiendo quoad fieri potest, hominū frequentia & consuetudinem, omnemq; peccandi occasiōnem nam scriptum est, *Qui amat periculum, peribit in illo.* Sextum & postremum foliū est, fuga otij, & occupare se in operib. pijs, partim spiritalibus, sæpe agendo in oratione cum Deo Domino nostro, partim corporalibus ad subueniendum necessitatibus proprijs, & proximorum, quantum status & facultas vniuscuiusq; postulauerit. Denique animæ Virginum assimilantur horto florido, & aromatico, de quo loquens sponsa dixit, *Dilectus meus descendit in hortum suum ad areolam aromatum, vt pascatur in hortu & lilia colligat.* Vere hortus floridus, & odoriferis aromatibus plenus; nam aliud nō sunt actiones internarum virtutū huius purissimi Virginū collegij, castæq; eorum cogitationes, quam lilia candida; & inflāmata desideria, quā purpureę rose, & summissa illa & abiecta de seipsis opinio, quam

Eccle. 3.

Cant. 5.



humiles violæ. Actiones quoque externæ pietatis ipsorum, quid aliud sunt quam odorata quædam aromata, quæ igne caritatis accensa, instar virgulæ fumi ex myrrha, aloë, alijsque aromatum speciebus (sicut de sponsa scriptum est) ascendunt vsq; in cælum, angelisq; & ipsi Deo suavissimum gratissimumque odorem afferunt. Hæc sunt aromata, quibus delectatur sponsus cælestis, hi sunt horti, in quibus libenter habitat, hæc lilia, alijsque flores in quibus suaviter pascitur.

Cant. 3.

4. VERVM parum est hunc gloriosum Virginum ordinem assimilari rebus terrenis, cum propriè & præcipuè comparari, imò & æquari debeat angelis cælestibus: nulla siquidem alia virtute homines mortales ob vitæ imitationem verius sunt æquati angelis, quam castitatis & virginitatis gratia, cuius virtutis merito degentes in terra obtinent possessionem in cælo. Sunt ergo similes angelis; nam vt illi non ineunt inter se nuptias, sic ne hi: illi continenter assistunt diuino conspectui, illique ministrant; idem faciunt hæc fælices animæ, quæ vt loquitur Apostolus, ornantur.

omnibus alijs curis solutæ, tantum cogitant, quemadmodum placeant Deo. Angeli fruuntur præsentia Dei in cælo, homines verò, etsi dum hoc corpore mortali grauantur, in cælum ascendere non possint, non tamen ideo consolatione illa destituuntur; nam cum sancti sint corpore & spiritu, vt esse debent, in cordis eorum domicilium ipse Rex cæli venit. Quæ verò res pulchrior, quæ illustrior esse potest hac virtute virginea, quæ mundos reddit eos, qui de semine concepti sunt immundo, è terra facit cælum, ex carne spiritum, & ex hominibus angelos. Quod si aliquod inter Virginem & Angelum discrimen est, id non è virtutum merito, sed naturæ fælicitate proficiscitur. Itaque si angeli castitas è fælicior est, quod ipse sit in statu gloriæ, virginis hominis fortior est, quod eam conseruet in carne mortali. Angeli enim cum vinculis carnis ligati non sint, nec quicquam habeant repugnans spiritui, conseruant in cælo apud DEVM suam integritatem inuiolabiliter; at hæc animæ generosæ Virginum, continenter inter illecebas, & voluptas.

luptates carnis pugnando, assidue
 que vsu virtutum expugnando ten-
 tationes dæmonum in conspectu
 Creatoris, sanctam rectam conseruant
 puritatem, Angelorum puritati æ-
 qualem. Verum quid mirum vir-
 gines similes esse angelis, cum me-
 ruerint esse sponsi ipsius Angelo-
 rum Domini, imò ipsi Domino si-
 milimi quatenus integritate purita-
 teque vitæ proximè ad diuinam pu-
 ritatem & incorruptibilitatem ac-
 cedunt, conuenienter dicto sapien-
 tis. *Incorruptio facit esse proximum Deo.*

Sap. 6.

Adhæc facit vt ipsi à Deo speciali
 quodam amore diligantur, eumque
 amicum habeant, secundum illud,
Qui diligit cordis mundiciam habebit a-

Prou. 22.

micum Regem. Atque hæc causa est
 cur Sanctus Ioānes Euangelicam
 impensè charus CHRISTO fue-
 rit, & ab eo singulari quodam affe-
 ctu amatus, quod nimirum esset Vir-
 go, & virgo vsque ad mortem persti-
 tisset. Vnde quamuis proprium sit
 sapientiæ æternæ filij Dei delectari
 consuetudine hominum, vt ipse te-
 statur dicens, *Delitiæ meæ esse cum*

Prou. 8.

*filijs hominum; nihilominus modis,
 quem ille semper tenuit in tractan-
 dis*

dis animis virginum, & castorum,
 declaravit mundo, illo summarum
 deliciarum loco esse conuersari cum
 virginibus, benefacere illis, custodire
 & tueri illos, & tanquam oculi sui
 pupillam amare.

5. PRAETER hæc, quæ hactenus
 de huius status Virginei præstantia
 dicta sunt, considera pressius quanta
 sit eius dignitas. Ac primo quidem
 ex parte officij. Virgines enim sunt
 veræ CHRISTI D.N sponsæ, ita
 enim beatissima virgo Agnes locuta
 est ad tyrannum. *ipsi sum desponsata,*
cui Angeli seruiunt, cuius pulchritudinem
Sol & Luna miratur. Vnde rectè in hu-
 ius rei figuram in lege veteri manda-
 uit DEVS vt summus Sacerdos, qui *Leuit. 21*
 referebat personam CHRISTI, de-
 sponsaretur puellæ virgini, talis .n. pu-
 ritas tali sanctitati cõgruebat. Secun-
 dõ considera eius dignitatẽ ex parte
 excellentiæ, quæ habet cõparatione fa-
 cta cum reliquis tam enim sublimis
 & illustris est, vt à Doctoribus voc-
 tur flos & ornamentũ ordinis Eccle-
 siastici. Hic enim status est, qui hoc
 mortalis vitæ tempore in terra repre-
 sentat statum immortalitatis & in-
 corruptionis. Tertiõ ratione præ-

468. DISCVRSVS DE
eminentia; Status enim virginum
antefertur statui Coniugij, & Vidui-
tatis, vnde (secundum parabolam
Domini de semine in terram semi-
nato, quod nunc etiam centesimum
reddebat fructum) statui coniugali,
vt infimo omnium, attribuitur tri-
gesimus, viduali sexagesimus, virgi-
nali vero vti nobiliori & sanctiori,
centesimus. Et merito: bonum enim
caeleste & diuinum praerendum est
humano, & bonum spirituale animi,
bono corporis. Quarto ratione ma-
ioris conformitatis, quam hic status
habet cum CHRISTO Virgine, can-
dido & rubicundo, & similiter cum
eius matre Virgine purissima, ac de-
niq; cum angelis Dei, vt antedictum
est. Quare virginitas, teste Ambro-
sio, humanae naturae conditionem
longe excedit, eo quod beneficio
huius virtutis homines iungantur
angelis. Et merito, quia in carne, sed
non secundum carnem viuere, non
humanae, sed angelicae naturae pro-
prium est. Quinto ratione aenum-
narum & calamitatum quibus con-
iuges sunt subiecti, a quibus virgi-
nes sunt liberae, vt a subiectione &
imperio mariti, a molestijs & sadi-
tati.

fœditatibus carnis, à doloribus & angustijs partus, ab infinitis laboribus tolerandis in educandis, sustentandis & formandis liberis, ac denique ab illa ingenti cruce quam sustinent in morte filiorum, si contingat eos è viuis excedere. Sextò ratione commodorum quæ affert hic status. Nam præterquam quod sint omni cura, ut dictum est, rerum temporalium, familiæ, & facultatum, quæ causam præbent maximis afflictionibus, solutæ & vacuæ, magis tamen sunt sapientiæ capaces, eo quod intellectus virginum magis sit purgatus & illustratus. Vnde Sapiens dicit sapientiã esse fructum castitatis. Contra verò *Sap. I.*
scriptum est. In maleuolam animam nõ intrabit sapientia. nec habitabit in corpore subdito peccatis. Illa enim est quasi balsamum odoriferum, quod odore suum perdit, si ponatur in vase im-mundo. Deinde virginea puritas, reddit animas leuiore, ut hac virtute quasi alis possint attolli sursum ad Deum, & cum infinita illa puritate cõiungi. Hac de causa tantoperè laudauit virginitatem Apostolus; quod videlicet virgines, omnibus remotis impedimentis, commodius se possint

sint dedere orationis studio & con-
 uersationi cum Deo, Præterea hæc
 virtus non parum prodest toti Eccle-
 siæ; si enim vna casta Iudith vniuer-
 so suo populo tantum profuit, uti de
 ea legimus, *eo quod castitatem amaue-
 rit, & post virum suum alterum nõ scierit,*
 quantum bonum, quanta commo-
 da, quantamq; gloriam putamus re-
 dundare in Ecclesiam Christianam,
 ex tot sanctarum Virginum choris,
 aliarumque personarum, quæ vitam
 ab omni peccato immunem ducunt.
 Septimò possumus dignitatem hu-
 ius status cognoscere ex singulari e-
 ius pulchritudine. Vnde & cum in-
 genti admiratione collaudatus fuit à
 sapiente his verbis. *O quam pulchra est
 casta generatio cum claritate.* Status verè
 speciosus & clarus, in quo refulget
 species & venustas plus quam huma-
 na, imò potius diuina. Si enim hoc
 venustior est creatura, quo pl⁹ parti-
 cipat de lumine & gratia sui creato-
 ris, quantam arbitramur esse venusta-
 tem animæ Virginis, quæ in tam su-
 blimi gradu, mundissimi speculi in-
 star, recipit & repræsentat in se diui-
 næ pulchritudinis imaginem & splen-
 dorem? Octauò & ultimo, nobiliss-
 ima

Iud. 15.

Sap. 4.

fina est hæc virginea virtus ratione
 summi sui valoris & pretij, de quo
 agens Sapiens hanc pulchram pro-
 nuntiauit sententiam *Omnia pondera-
 tio non est digna continentis animæ; sic Eccl. 26.*
 profus, ut neque aurum, neq; gem-
 mæ, neque thesauri ulli, qui cuius
 maximi in terra existant, qui possint
 æquare huius nobilissimæ virtutis
 valorem & meritum: atque ideo be-
 nedictas animas quæ hoc donum à
 Domino obtinuerunt, tanto perè
 homines admirantur, angeli reuerè-
 tur, demones reformidat, & Deus sin-
 gulari amore & honore prosequitur.
 6. CAETERVM ne ullam præ-
 termittamus prerogatiuam & digni-
 tatem, quæ in hanc nobilem virtu-
 tem conuenire possit, visum est mi-
 hi hic adiungendam prerogatiuam
 martyrij, cuius actus inter omnes he-
 roicos virtutum actus qui ad colen-
 dum DEVM exerceri queunt, est o-
 mnium laudatissimus & perfectissi-
 mus, eo quod sit effectus & signum
 summi amoris in DEVM, quo
 maior in hac vita declarari non
 potest, hoc enim actu homo dese-
 rit vitam, quo nihil habet carius,
 & amplectitur mortem, qua nihil
 odio

odiosius & acerbius. At tanta est virginialis virtutis dignitas, vt, quemadmodum scribit S. Ambrosius, sit quasi martyrij mater, ipsaque non ideo laude digna sit, quod reperiat in martyribus, sed quia facit martyres. Huius autem rei hæc causa est, quod ingens illa amoris vis, quæ animam mouet ad offerendum & dedicandum CHRISTO virginitatem suam, & seipsam totam, eadem moueat ad exponendam vitam pro CHRISTO dilecto suo. Quare mirum non est tempore persecutionis maximam fœminarum partem, quæ sanguinem suum profuderunt, fuisse Virgines: virginitas enim est quasi via ad martyrium, & quasi status, cui optimè conueniat talis corona. Nam cælestis sponsus, cui se hæ sanctæ animæ desponsarunt, & de quo scriptum est, quod sit *candidus & rubicundus*, plurimum oblectatur, dum videt has suas sponfas non minus puritatis candore, quam martyrij purpura ornatas & insignitas. Accedit, quod virginitas non solum causa est martyrij, sed etiam ipsa est quoddam martyrium. Nam si martyr dicitur magnæ fortitudinis actam ex-

Cant. 5.

ecce

ercere, dum constantissimè sustinet
 cruciatus, dum obuiam it morti, dum
 non metuit amittere vitam, non mi-
 nor certe est fortitudo sanctarum
 virginum, dum vi coercent suas cu-
 piditates, carnem suam mortificant,
 importunas animi perturbationes,
 & tentationum diabolicarum impe-
 tum reprimunt, & frangunt. Imò
 verò & maior est, nam martyrium
 saepe breui tempore absoluitur, & vi-
 ctoria vno puncto temporis obtine-
 tur, at conflictus virginis animæ cō-
 tinuus est, & vsque ad finem vitæ
 perdurat. Adhæc, sicut in martyrio
 homo amore sui creatoris se offert
 ad mortem, faciendo de seipso quasi
 sacrificium suæ Maiestati, sicut de
 illis scriptum est, *Deus tentauit eos, in- Sap. 7.*
uenit eos dignos se, quasi holocausti ho-
stiam accepit illos. ita quoque hoc vir-
 ginum martyrium appellatur holo-
 caustum & sacrificium, quia anima
 virgo igne diuini amoris flagrans in
 altari cordis sui offert se Deo sponso
 suo in odorem suauitatis. Et Orige-
 nes dicit illos solos nunc offerre Deo
 perpetuum sacrificium, qui perpetuè
 continentiaæ votum edunt. Quocirca
 bene hoc virginalis holocaustum af-
 simila-

similatur sacrosancto altaris sacrificio. Nam sicut hoc vocatur sacrificium virginitatis, quia in eo offertur Deo virginea vni geniti filij eius caro; ita illud aliud, in quo eidem Deo anima offert virginitatem sui corporis, vocatur sacrificium Virginitatis. Denique, ut scribit S. AMBROSIVS, mens Virginum non modo est altare, in quo Deo suam virginitatem consecrant, sed in quo etiam quotidie ipse CHRISTVS offertur. Quid verò mirum mentem virginū esse altare, cum corpus earum non sit aliud quam templum Dei? Beatæ Virgines, quæ per immortalem gratiam in vobis existentem odores sanctitatis spiratis, haud locus quàm horti per flores, sacra templa per diuinum cultum, altaria per sacerdotem in ijs offerentem.

7. RESTAT nunc considerare quam grande, quamque nobile præmium Dominus pro dilectis his spōsis suis paratum habeat. Ac primum omitto internos illos & spiritales gustus, illas veras solidasque consolationes, illud cælestium deliciarum & futuræ beatitudinis pignus, quo adhuc in terra perfruuntur illæ virginum

num

num animæ, quæ serîo mentis puritatem, cordisque munditiam amplectuntur & sequuntur. Prætermitto illam *pacem Dei*, ut appellat Apostolus, *exuperantem omnem sensum*, quarû. *Phil. 4.* cumque voluptatum huius vitæ, sic ut existentes in terra, ut loquitur Sa. *Prou. 13.* piens iugi & cælesti conuiuio quodam perfrui videantur. Et si omniû virtutum proprium est, afferre quendam voluptatis sensum eam exercētî, quas delicias existimamus afferre secum hunc generosum & diuinum virginitatis actum, quem mox comitantur tot aliæ virtutes principes, & singulatim perfectus Dei amor; in quo puræ istæ animæ, velut in portu tranquillo summa pace & securitate conquiescunt. Verum hoc totum non est nisi initium, & exigua quædam particula pleni & exuberantis præmij quo nunc fruuntur in cælo, sicut Deus per Prophetam loquēs de mercede hominibus castis & virginibus reddenda, sub nomine Eunuchorû indicauit. *Dabo eis, inquit, in domo mea, & in muris meis locû, & nomē melius à filijs & filiab⁹, nomē sempiternû dabo eis quod non peribit.* Hi ergo non solû habitabût in domo domini, sed
 CIUNE

Esa. 56.

erunt in ea ob excellentem quandam dignitatem cæteris illustriores: neque verò in istis splendoribus sanctorum vlla ratione vel imminuetur, vel offuscabitur eorum claritas, sed potius augetur magis, magisque splendescet. De hoc loco & nouo nomine, quod in domo Domini habebunt, apertius scripsit S. Ioannes, agens de glorioso virginum exercitu, vt supra dictum est, qui stabant vna cum agno, dicitque eos frontibus inscriptum habuisse nomen ipsius agni, & item Patris eius cælestis, eosque secutos agnum, quocumque iret. Vide quam singulari honore, magnoque fauore Dominus hos suos electos speciatim afficiat, communicans illis diuinum & ineffabile suum nomen: sic vt non solum à nomine agni vocentur Christiani, verum etiam à nomine Patris appellentur *Dij*. Verum quas existimamus esse illas lætices vias, illos amenos colles, illos montes odoriferos, in quibus, vt dicit sponsa, spatiat & exultat hic cælestis agnus comitante purissimo virginum choro. Quæ illa florida prata, qui speciosi illi & nobiles horti, qui fontes dul-

cissimi.

Apo. 14.

aut. 2.

c. 5.

tiffimi aquarum viuentium sunt, per
 quos eundem deducit, in quibus mi-
 rabiliter pascit, recreat, & infinito
 gaudio ac consolatione eam perfun-
 dit? Gaudio, inquam, non huius sæ-
 culi vano, falso & fallaci, nec gaudio
 aliorum beatorum non Virginum,
 sed gaudio virginum CHRISTI
 proprio, multo omnibus illis subli-
 miori, & longissime ab alijs gaudijs
 distanti, quo cum summa pace & iu-
 bilo cordis in omnem æternitatem
 exultant cum CHRISTO de CHRI-
 STO, & in CHRISTO.

8. CONSIDERA denique et-
 iam si in fœlici illa patria omnes cæ-
 lestes ciues æqualiter perfruantur so-
 cietate agni, & ab eo inexplicabilibus
 delicijs infinitè honorentur, amen-
 tur & exsaturentur, ac imprimis glo-
 riosus ille chorus Apostolorum, de-
 inde laudabilis numerus Prophetarum,
 tum candidatus exercitus Mar-
 tyrum, hinc splendida acies Con-
 fessorum, & sanctorum Mulierum;
 tamen inter hos omnes, qui diuino
 beneficio stola virginitatis ornati
 fuerint, maiori fauore & beneuolen-
 tia excipientur, nobiliori que corona
 honorabuntur & illustrabuntur; nō
 fecus

secus quam idem Dominus fecit Apostolis dum adhuc degeret in terra; licet enim, vt sacrum commemorat Euangelium, omnes vocaret suos amicos & filios, omnesque impense amaret, tamen solus Ioannes virgo hanc habuit prærogatiuam, vt vocaretur discipulus dilectus, *Discipulus quem diligebat IESVS*. Ille solus meruit caput suum in sacrum IESU pectus inclinare, & os vitæ fonti adhibere, vnde salutari sapientia repletus est, & arcanorum cælestium particeps factus, profundorumque mysteriorum, quæ cum diuino Euangelio suo mundo patefecit. Talis ergo quoque prærogatiua erit in cælo purissimarum Virginum, vt super alias omnes dicantur Domini dilectæ, imò ipsius Domini sponsæ, sicut de his in persona suæ sponsæ dixit cælestis sponsus. *Adolescentularum non est numerus, vna est columba mea, perfecta mea*. Magnus vere numerus est gloriosi beatorum exercitus, sed inter omnes vna columba est, & sponsa dilecta, in qua dulcis sponsus sibi complacet, quæ est purus ille, perfectusque & resplendens chorus Virginum. Hi sunt, qui tam suauiter

cantant

Ioan. 21.

Cant. 6.

cantant nouum canticū, quod ab alio nullo cantari potest; nullus enim ad eorū potest attingere puritatē. Vide quam immēsa sit huius nostri Dei bonitas, qui non patitur se ab hominibus vinci in liberalitate. Dixerat ipse qui relinqueret propter ipsum patrem aut matrem, aut vxorem, aut filios, aut aliud quippiam, eum plus pro qualibet re recepturum. Hoc cōsiliū Domini secutæ sunt prudentes virgines, abstinendo ppter ipsum à coniugio hominum, itaq; CHRISTVS pro mercede seipsum dedit eis in sponsum, vt loco hominis possiderent Deum. Solent quoq; sponsæ Regū esse Reginae: itaq; videre in superna illa & regia Hierusalē has nouellas Regis cæli spōsas, nō est aliud, quam cernere totidem reginas splendidas coronis ornatas, vestibulq; aureis, gemmisq; immensi valoris & pulchritudinis præfulgidas ab angelis, totaq; curia cælesti honoratas. Harum nuptiarum spirualiū fœlicitatē Apostolus similitudine nuptiarum carnaliū expressit dicens: *Propter* Eph. 5. *hic relinquet homo patrē suū & matrē suā, & adheret uxori suæ, et erūt duo in carne vna* Nā haud secus anima virgo repu-

repudiatis omnibus huius mundi bonis & illecebris, toto affectu adheret CHRISTO, illi soli viuit, ab eo solo regitur, ex eius spiritu concipit & parturit. Qui verò alij sunt partus sanctarum virginum, nisi sensus quidam cælestes, cogitationes castæ, sermones prudentes, opera sancta, & actiones omni virtute conspicuæ? Hæ sunt prudentes illæ virgines, quæ obuiam ituræ sponso, non satis habuerunt, vt lampades earum virtute virginittatis coram oculis Dei lucrent, sed in super operam dedere vt in cordium suorum vasis gestarent oleum humilitatis, non vanè se hoc dono efferendo, sed laudem omnem & gloriam in Deum transferendo, atque etiam pro proximis oleum misericordiæ & charitatis. Verè prudentes, quia cum probè scirent, nec virginittatem, nec vllam aliam virtutem esse gratam Deo sine charitate, lampades suas non solum accenderunt, sed etiam bonorum operum exercitatione ornarunt. O humanæ animæ, vnde vobis hæc contigit gloria, vt merueritis esse sponsæ illius, in cuius vultum desiderant Angeli prospicere? cuius pulchritudinem

Sol

COMMVNISS. 481

Sol & Luna mirantur, cuius imperio totus hic orbis paret; vt inquam, sitis mensæ illius conuiuæ, consortes regni, & participes gloriæ? Beatæ virginis illæ, quæ vti erant paratæ, ita dignæ inuentæ fuerunt, vt vna cum sponso ad cælestes nuptias intrarent; vbi choro virgineo stipatæ ducce gloriosa Angelorum Regina, Virgine Virginum MARIA sequuntur agnum quocumque se conuerterit, suauiter cantillantes; ipseque in suo nuptiali conuiuio illic degustandum præbet dulcissimum fauum mellis, vinum illud suum lacte mixtum, & manna absconditum, cuius saporem ineffabilem, suauitatemque infinitam nullus comprehendere potest, nisi qui degustarit.

*Cant. 5.
Apoc 20*

COLLOQVIVM.

O Bone IESV, ô cælestis & immaculate agne, ô dulcis sponse, & animarum virginum corona, quis mihi dabit ibi tandem esse, vbi tu es vnicum bonum animæ meæ? Quis mihi tribuet, vt in cætu illius candidi & puri virginum chori tuas lau-

X des

des decantare valeam, teque vna
 cum illis comitari per splendidas il-
 las vias, per plateas auro mundissimo
 stratas, & interesse quasi vnus ex il-
 lis gloriosis tuis nuptijs? O Deus
 meus, tu probè nosti, hoc desiderare,
 pro hoc ingemiscere & suspirare a-
 nimam meam. Verum quia hæc be-
 neficia non sunt omnibus commu-
 nia, & vnusquisque, teste Apostolo,
 suum proprium donum habet, rogo te
 supplex, vt quoniam non solum es
 agnus sine macula, sed etiam in mun-
 dum venisti ad eluendas maculas
 nostras, & expianda mundi crimina,
 digneris quoque mundare animam
 meam, & in tuo sanguine lauare, pri-
 mo suo candori eam restituens, vt in
 posterum, (velut vna ex virginibus
 prudentibus) virtutum bonorumque
 operum exercitio ita possim meam
 lampadem adornare, vigilanterque
 aduentum tuum præstolari, vt tuæ
 gratiæ beneficio, merear in foelicif-
 simo conuiuio tuo si non inter
 primos, saltem inter po-
 stremos locum
 obtinere.

1. Cor. 7.

DOCV:

DOCUMENTA.

1. **A**IT Euangelium, tunc, id est, in die iudicij regnum celorum simile futurum decem virginibus, quinque prudentibus, & quinque fatuis. Unde discimus, hoc presenti tempore, quod est ante diem iudicij, non posse certo cognoscere que Virgines sint prudentes, & que fatue. Multi enim extrinsecus videntur prudentes, & intrinsecus sunt fatue; sicut contra multi exterius putantur fatui, sed interius sunt prudentissimi, de quibus scribitur Sap. 5. ptum est. Nos insensati vitam illorum existimabamus insaniam; ecce quomodo computati sunt inter filios Dei? Quare non debemus ante illius diei aduentum alios iudicare, sed nobis ipsis attendere, & nos ipsos iudicare, ne postea iudicemur à Deo, conuenienter consilio Apostoli. Nolite ante tempus iudicare, quoad usque veniet Dominus, qui & illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium, & tunc laus erit unicuique à Deo. 1. Cor. 4.

2. Omnes hæc virgines lampades quidem habuere, sed non omnes habuere oleum. Quo significatur, sæpenumero contingere, ut æquè improborum, ac proborum

hominum opera videantur bona & laudabilia extrinsecus, sed tamen verè intrinsecus quaedam careant oleo, nempe internæ gratiæ & charitatis, quæ est in cordibus nostris tanquam in vasis.

2. Cor. 1.

Itaque boni, qui similes sunt virginibus prudentibus, præter bonorum operum lampades habent oleum gratiæ in conscientijs suis, secundum illud Apostoli, Gloria nostra hæc est testimonium conscientiæ

Psal. 44.

nostræ. Et illud Prophetæ. Omnis gloria eius filiæ regis ab intus. Gloriam vocant gratiam, quia gratia est semen gloriæ. Contra improbi & Pseudochristiani similes virginibus fatuis, non habent hanc gloriam in conscientia, sed tantum foris in ore hominum. Quare & opera eorum apud Deum omni remuneratione carebunt, quoniam mercedem suam tantum quasi fuerunt & acceperunt in hoc mundo.

3. HÆ decem virgines, de quibus locutus est CHRISTVS, tantum erant Virgines, omnes in manibus habebant lampades, omnes similiter obviam ibant sponso: nec tamen omnes ad salutem peruenierunt, quia quinque à celestibus nuptijs sunt exclusæ. Vnde intelligimus, non satis esse ad salutem, abstinere à peccatis, & bonis operibus vacare, sed verenda opera nostra & vigilandum, discutiendamque diligen-

ligenter intentionem, ne forte respectu commodi vel voluptatis propriae facta sint, & quod foris in oculis hominum videatur laudabile, in oculis Dei sit reprehensibile & mercede indignum, simileque tandem efficiamur fatuarum virginum, quae, quia vanè se de virginitatis virtute iactarant, oleumque humilitatis ex vasis cordium suorum temerè exclusérat, meritò à CHRISTO repulsam passæ sunt.

2. Virgines fatuae, oleo destitutæ dixerunt lampades suas exstingui. Vnde docemur, quod sit discrimen inter opera, quae specie quidem bonitatis præ se ferunt, re ipsa tamen bona non sunt, & ea, quae verè bona sunt & perfectæ. Nam licet reproborum opera ad breue tempus videantur lucem quandam & splendorem emittere, nihilominus tamen postea vna cum ipsis extinguuntur, eo quod post hanc vitam lumen nullum præbeant. Verum opera electorum, lampadesque prudentum, quia pietatis misericordiæque oleo fouentur & aluntur, post hanc vitam, quando ex his tenebris ad aeternam lucem transferentur, longè clarius relucebunt.

3. HÆ Virgines cum lampadibus ornatis obuiæ processerunt sponso. Vnde dissimulamus, virginem CHRISTI, si sponso velit placere, & ab eo ad nuptias eum intro-

duci debere esse similem lampadi bene cō-
cinnatæ. Nam sicut ad concinnandam or-
nandamq; lampadem requirūtur quatuor.
Primò vitri claritas & nitor, Secundò co-
pia olei, Tertiò flammæ ardor, Quartò splē-
dor: sic virgo crystallinæ lampadis instar
operā dare debet, Primum, vt sit admodū
pura & munda mente & corpore. Secun-
dò vt ardeat puri amoris in Deum flamma
& omnem sensualem & terrenum amorē
excludat. Tertiò, vt animæ suæ vas plenū
habeat oleo deuotionis, orandiq; studio im-
pensè sit addicta: nam vt oleum efficit ar-
dorem in lampade, sic oratio deuota diuini
amoris flammam fouet & conseruat, iuxta
illud Prophetæ, In meditatione mea
exardescet ignis Postremo debet resplē-
dere alijs operum piorum exemplo, & ex-
ercere se maximè in humilitate, caritate,
obedientia, contemptu sui, & omni hone-
state.

Psal. 38.

5. Sponso ad cælestes nuptias ingresso,
clausa est ianua. Tres sunt ianue, quas
Dominus in hoc mundo apertas tenet ho-
minibus, vt ingredi cælum possint, quæ
post iudicii diem omnino claudentur, vt
nulli amplius in eas pateat ingressus. Pri-
ma est misericordiæ & veniæ, quæ nunc o-
mnibus patet: Altera est gratiæ ad me-
rendum, quæ in hac vita omnibus offertur.

Tertia

Tertia est gloria ad ingrediendum regnū,
 que nunc omnibus penitentibus aperitur.
 Itaque illis clausa erit ianua veniæ & me-
 riti, qui in hac vita iacturam fecerunt tem-
 poris, quod eis concessum erat ad obtinen-
 dam veniam, occasionesque merendi vi-
 tam æternam neglexerunt.

7. Quoniam CHRISTVS Dominus no-
 ster tanti fecit hanc virginitatis virtutem,
 ut liquet, non modo ex consilio de ea dato,
 & exemplo suo, suaque purissimæ Matris,
 alijsque multis argumentis, verum etiam,
 ex eo, quod in cælo, vti reuelatum est S. Io-
 anni Euangelistæ hic agnus immaculatus
 speciatim voluerit versari in comitatu
 Virginum: hinc facile intelligere possumus
 quantum cuique nostrum studium impen-
 dendum sit ut virtutem tam nobilem con-
 sequamur, vel certe, quoad fieri possit, pro-
 ximè ad eam accedamus. Quocirca & illi,
 qui hoc donum à Deo obtinuerunt, omni stu-
 dio enitantur illud tanquã pretiosissimam
 margaritam conseruare. Qui verò hoc flore
 carent, & coniugij vinculo soluti sunt, co-
 gitent cõsultius sibi fore, si deinceps in ca-
 stitate viuant, ut salutis suæ studiosius va-
 care queant, quam ut graui matrimonij
 iugo se subijciant. Qui denique iam ligati
 sunt, conentur minimum præter castitatem
 & honestatem sui status, obseruare consi-

I. Cor. 7.

lium Apostoli, vt nō nunquā se contineant
 ex consensu ad aliquod tempus, vt eo re-
 ctius spiritui & orationi vacare possint.
 Ex alia parte, si animae purae & castae in
 altera vita à CHRISTO ad tantum e-
 uehantur honorem & gloriam, ei que tam
 singulari amore sunt vnitae, cogita quam
 execrabiles & abominandae futurae sint in
 Angelorum, omniumque beatorum pre-
 sentia infelices illae animae, quae vitijs car-
 nis fuerint inuolutae & sedatae, quantaque
 indignatione & ignominia sint à conspe-
 ctu Dei remouendae, & in profundissimum,
 seuissimumque gehennae infernalis
 incendium in aeternum abij-
 ciendae & detur-
 banda.

FINIS MEDITATIO-
 num de B. Virgine & Dis-
 cursum, de Commu-
 ni Sanctorum.

INDEX